

Nr 27, 28. fehlt!

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE
H Y D R O P E
A V E R M I B V S C A V S A T O

QVAM,
 CONSENSV ET AVCTORITATE
 GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,

P R A E S I D E

D N . D . H I E R O N . L V D O L F O

FACVLT. MED. ET PHIL. ASSESS. ORDIN. ET PROFESS. CHTM. PVBL.
 NEC NON CIVIT. ERFORD. PHTSICO,

PATRONO ET FAVTORE ÆTERNV M COLEND O

PRO

G R A D V D O C T O R I S
 SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
 IMMVNITATIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE CAPESSENDIS

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B M I T T I T

AVCTOR ET RESPONDENS

F R I D E R . H E N R I C V S J A C O B S

SAXO-GOTHANVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
 HOR. CONS. V.

DIE X. JVNII, M DCC XLVIII.

E R F O R D I A E
 TYPIS JO. CHRISTOPH. HERINGII ACAD. TYPOGR.

17

DEPARTIMENTO MEDICO AGRICULTORUM MEDICO

HYDROPOE

AGERMINIBVS CASATO

CONSENSA ETAVOCATORIATIS

CIVITATIS TICCL ELATIONIS MEDICE

DIN BENIGNI LUDOVICO

GRADIA DOCTORIS

SCHOLASTICA ILLUSTRE MODER ODOCTRINA

THEATRIS CIVILIS CIVILIS ENDICIS

VACOTORIS ETDISCIPULORUM

BRIDE. HENRICAS JACOBIS

IN ADIDACTIO MAJORIS OFFERON MAJORIS

HOC CONVIVI

DIE XII MAR MIGDALIN

EST DOCTORIS

THEIS JO. CHRISTOPHH HERING AGAD THEIS.

VIRIS
CVM ARDENTISSIMIS CAVITATIBVS AVTO

ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS
ATOVE AMPLISSIMIS
DOMINO

JOHANNI LVDOVICO GOTTERO, JC^{TO}

SERENISSIMO SAXO - GOTHANO DVCI IN AERARIO
ALTBURGENSI A CONSILIIS ET PER DVCATVM
ALTBURGENSEM QVÆSTORI PRO-
VINCIALI PRIMARIO

ET

DOMINO

HENRICO ERNESTO GOTTERO, JC^{TO}

EIDEM SERENISSIMO PRINCIPI GOTHANO IN LEGA-
TIONIBVS A CONSILIIS ET AB EPISTOLIS
SECRETIORIBVS

FRATRIBVS GERMANIS

PATRONIS ET FAVORIBVS SVIS

OMNI HONORIS ET OBSEQVII CVLTIV
DEVENERANDIS

CVM ARDENTISSIMO OMNIGENÆ FELICITATIS VOTO
SVMMVS HVJVS VNIVERSI RECTOR
EOS
IN PATRIÆ EMOLVMENTVM
AMICORVM LÆTITIAM
SPLENDIDÆ SVÆ GENTIS
DECVS ET ORNAMENTVM
CVLTORVM DEVOTISSIMORVM PRÆSIDIVM
PLVRIMOS ADHVC ANNOS
FAVSTOS FELICES ET INCOLVMES
VELIT CONSERVARE
CVMQVE OBSERVANTISSIMA PIETATIS ET GRATISSI-
MI ANIMI CONTESTATIONE
HVNC
QVALEM CVNQVE LABOREM ACADEMICVM

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

DEVOTVS CVLTOR

FRIDERICVS HENRICVS JACOBS.



PROOEMIVM.

Singulis singulorum observationibus artem nostram salutarem maximum nancisci incrementum nemo in hac arte peritorum negat, quin potius omnia quæ specialissime observata in lucem eduntur, benevole & grato animo excipiunt, præcipue observationes in praxi habitæ magni æstimantur, siquidem per istas modo morbum curam alias non admittentem feliciter curatum videmus, modo medicinam, quæ hucusque pro conveniente habita, pro noxia immo & veneno declarare cogimur, modo novam & specialem alicujus, morbi causam invenimus, modo ulteriore

A 3 medica-

medicamenti cuiusdam efficaciam exploramus, sic e. g. ex tribus casibus ubi hydrops a vermis proveniens observatus fuit, certiores reddimur primo hydropem non adeo frequenter esse incurabilem, ut inter scandala plena medicorum referri mereatur, dein quod vermes omni hydropi ansam dare possint, porro quod Tinct. bez. Wed. homini sit antidotum, vermis autem venenum, & ultimo quod anthelmintica mercurialia in corpore humano mutari possint in venenum. Optime itaque debitum meum, ubi exhibendum specimen inaugurale mihi incumbit, persolutum fore censui, si tres hos casus ubi hydrops a vermis proveniebat publici juris faciam, ut autem eo certius asserta & conclusa ex hisce observationibus demonstrare queam, necessario praemittenda erunt generalia tam hydropis quam vermium doctrinam spectantia, dein adductis tribus observatis casibus conclusiones tam ratione causæ, quam curæ exinde eruere attentione dignas pro viribus allaborabo, quæ ut omnia ex voto succedant,
T. T. O. T. M. benigne assistet.

§. I.

§. I.

Hydrops est tumor aquosus cavitatum & pororum ab eorum distensione præternaturali per lympham extravasatam & accumulatam facta proveniens. Si una ex cavitatibus est repleta vocatur ascites, diversa autem accipit nomina, prout hæc vel ista corporis humani patitur cavitatis. Si cavum abdominis immediate lympha extravasata deprehenditur repletum, proprie vocatur ascites, si autem lympha extravasata in folliculis hærens replet cavitatem abdominalis vocatur vel hydrops saccatus, si adsunt folliculi majores, vel hydatides, si per minora, copiosa tamen, tubercula in cavitate abdominalis hærentia tumor abdominalis existit, de quo casu legi meretur Dissert. quam A. 1745. in hac hierana pro Licentia defendit *Dn. BREHM de hydatibus.* Si materia replens est lympha & aer simul vocatur tympanitis. Si cavitas thoracis per lympham extravasatam repleta deprehenditur vocatur hydrops pectoris. Si caput, hydrocephalus. Porri autem si sunt repleti in cute vocatur anasarca, quæ etiam a partibus diversis quæ patiuntur diversum acquirit nomen.

§. II.

Causas cuiusvis hydropis quod attinet, invenimus immediatam, distensionem cavitatum vel pororum, mediatam proximiorem stasin lymphæ & accumulationem istius in cavitatibus vel poris. Si hæc stasis in cavitate abdominalis diu durat, ut aer ex lympha putrescente liberetur tunc oritur tympanitis. Hæc stasis & accumulation lymphæ autem copiosas, agnoscit causas remo-

remotiores medico tamen istas probe perspicienti ad curam omne omnino adferentes. Præcipuum ad illam confert circulus lymphæ tali ordine turbatus, ut lymphæ minori quantitate absorbeatur, quam secernatur vel evacuetur in cavitatem vel poros, scimus enim cavitates & poros lympham diversas ob causas intrare, quæ iterum, ne noxam quoquaque modo inferat per vasa determinata absorberi debet. Aufertur autem hic circulus 1) majori & præternaturali evacuatione vel secretione lymphæ in cavitatem quandam vel poros, quæ iterum contingit a) ob aperturam præter naturalem vasorum lympham secernentium, quæ dependet vel a ruptura horum vasorum vel ab extensione eorundem nimia, vel a debilitate vasorum, vel sanguine adeo leviter ibidem stagnante, ut inflammatio fieri nequeat, b) ob resolutionem nimiam & fusionem lymphæ, hanc ob fluiditatem ergo majori copia secernitur & evacuat, quam resorberi potest, sic necessario stagnat & accumulatur, c) si nimia lymphæ in sanguine adsit quantitas. 2) Ob resorptionem legitimam denegatam, quod fit a) obstructis vasis absorbentibus, b) lymphæ nimis viscida existente talis enim ab impulsu cordis detrudi quidem in cavitates vel poros potest, minime autem sufficienti quantitate absorberi, 3) ob debitam seri secretionem & evacuationem aliis in locis impeditam. Ruptura vasorum lympham secernentium contingit, si vel nimis a stagnante lymphæ extendantur, vel ab acrimonia humorum corrodantur. A cingulo mercuriali, quod puer quidam contra sca-
biem in usum vocaverat, talis ruptura orta fuit. Extensio
-01137

tensio vasorum lymphaticorum facillime contingit per frigus, hoc enim lympha viscida redditur, ideoque stagnat & subsequens lympha parietes ita extendit, ut expedita stasi copiosior per extensum canalem fiat secretio. Debilitas horum vasorum oritur in febribus longis, quæ præcipue copiosis ægrotum fatigant sudoribus, item post evacuationes tam sanguinis quam serierum aliorumque humorum nimias. Sanguis stagnans redditur a plethora, hinc ad talem dispositi, si venæflectione nunquam fuere usi facillime hydrope corripiuntur. Resolutionem humorum nimiam præstant humores acres & quæ istos reddere possunt tales, hinc cacheætici, ut & vigiliis nimis vel animi pathematis exagitantibus affueti sæpius hydrope laborant. A purgante fortiori spatio trium dierum ascitis gravior & fere lethalis oriebatur. Præstant id quoque vermes præcipue qui cavitatem quadam sunt inclusi. Ob lympham nimiam oritur hydrops in temperamento phlegmatico, in aliis temperamentis ob copiosum potum cerevisiæ tenuis. Obstructionem vasorum resorbentium efficiunt tam acria adstringentia quam terrea absorbentia nimium in usum vocata e. g. China Chin. si adstringentem possidet saporem, item terrea præcipue calcinata in febribus intermittentibus exhibita prosterunt ægrotos in hydropem. Ob lympham nimis viscidam hydrops exsurgit, si nimio potu spiritus vini delectentur, aeri frigido feso exponant, somnus modum excedat, animi pathemata habeant deprimentia. Seri evacuationem impediunt e. g. calculus renum, obstructione viscerum gravior.

B

§. III.

§. III.

Signa hydropis defumuntur primo ex causis prægressis tam generalia quam specialia, dein autem maximam nobis exhibent certitudinem præsentis hydrodropis circumstantiae in quibus deprehendimus ægrotum, inter quas præcipuum occupat locum tumor vel totius corporis vel abdominis vel scroti vel pedum. Unica species, thoracis nempe hydrops nullum ob spatum mediantibus solidis clausum monstrat tumorem, sed nihilominus vel reliquarum partium magnitudinem auctam connexam habet, vel si solam pectoris cavitatem occupat citius moriuntur ægroti quam de morbo certiores reddi valent. Si itaque ex causis prægressis concludi ad præsentiam hydropis possit, & vel anxietates præcordiales vel anhelatio, vel interceptio loquelæ subsint, non sine fundamento pectoris præsumi potest hydrops, nullo licet alio in loco apparente tumore. Sic quidam a calculo renum fortiorum urinæ interceptionem patiens ob loquela interruptam habebatur pro apopleætico, ubi tamen post mortem reperiebatur gravis pectoris hydrops. In omni hydrope adsunt appetitus prostratus, sitis major, respiratio difficilior, laßitudo corporis, urina aquæ & tenuis, ingravescente autem malo fit biliosa immo & atrabilaria nigra, alvus magis obstructa quam laxa, feces non satis tinctæ. Ascites autem ex tumore ventris molli æqualiter specialiter cognoscitur, qui autem se se pro diverso ægroti situ mutat, interdum etiam tumorem pedum una exhibet, ut plurimum autem in masculis scrotum aquosum tumorem possidet. Concusso

cusso abdome percipitur sonus instar aquæ fluctuantis. Si autem motu abdominis nullum edat sonum, adhuc vel hydrops fuscatus vel hydatides vel hydrops uteri, hi morbi quoque ex inæquali tumore dijudicari possunt. Tympanitis judicatur præsens ex tumore abdominis majore & duro æquali, nullo situ ægroti sese mutante, qui percussus sonum tympani edit, neque ullum aquæ undulantis indicium exhibit, nisi præsens sit simul ascites. Anasarcam indicat tumor reliquarum partium aquosus mollis foveam facta præfatione relinquens.

§. IV.

Eventum hujus morbi plurimi credunt esse læthalem ideoque etiam inter scandala medicorum retulerunt. Quod tamen statuendum tantum de duobus casibus puto, nempe 1) ubi ruptura vasorum lymphaticorum extravasationem lymphæ in cavitatem efficerit, rarissime enim consolidatio obtineri potest, hinc eadem quæ evacuatur humoris quantitas, de novo semper restituitur, 2) in hydrope pectoris, hic enim actio ad vitam quam maxime necessaria, respiratio nempe patitur, quod per id, quod hic morbus ad curram requirit tempus, chronicus enim existit, fieri minime potest. Sin autem hydrops a reliquis §. 2. recentis causis dependeat, omnino curam haud raro admittit, remediis nempe congruis adhibitis & visceribus adhuc ita constitutis ut emendationem recipere valeant. Id quod judicatur ex actionibus læsis & adhuc residuis, e. g. si vires adhuc adhuc sufficienes, non ulterius imminuantur sed potius per remedia augentur.

tur. Hypochondria & venter magis mollia quam' dura, appetitus non plenarie prostratus, sitis neque calor major adsit, urina copiosa aquæ emittatur, alvus respondeat. Hæcce omnia optimam evasionis spem nobis promittunt. Contraria autem hisce, ut & tuffis ægrotos fatigans, signa futuræ mortis nobis exhibent.

§. V.

Cura generaliter requirit ut 1) extravasatio vel accumulatio lymphæ ulterior impediatur, 2) lymphæ stagnans evacuetur, 3) putredo lymphæ arceatur, ne interim fieri possit eductio, corrumpatur. 4) Tonus fibrarum restituatur & conservetur. Specialiter autem cuiusvis hydropsis causæ remotionem postulat, hinc ex antecedentibus & præsentibus medicus probe in istas inquirere debet. Generaliter quæcunque sit hydropsis causa profundunt balsamica, blande evacuantia & roborantia. Balsamica enim, si hydrops etiam dependeat a ruptura vasorum lymphaticorum, consolidationem earum promovent & putredinem arcent, & si simul blande resolvunt & evacuant, stagnantem quoque lympham simul educunt. Roborantia fibras, quæ in omni hydrope debilitantur, ad resistentiam magis aptas reddunt, ne ulterior fieri possit evacuatio. Ad balsamica pertinet 1) Tinctoria bezoard. Wedel. quæ per cutem simul evacuat. 2) Tinctoria antimonii methodo Excell. Dn. Praesidis parata, & cum bals. peruviano refracta dosi mixta quæ simul per urinam evacuat. Si ad unciam unam talis Tinctoriae addantur olei cinnam. guttas iv. simul quoque insigniter roborat.

3) Eli-

3) Elixirum proprietatis & quidem uti istud Excell. Dr. Præses in suo programmate de Elixirio Propr. Paracelli publici juris fecit, cuius in defectu etiam breviori manu sequens efficacissimum & tutissimum Elixirum proprietatis præparari potest.

R. Calc. viv. ℥vj.

Tartar. alb. ℥vj.

Sal. ammon. ℥vj.

Tartari ℥vj.

Hicce pulverisatis & cito mixtis in retorta vitrea affundantur spiritus vini rectificatissimi ℥vj. adaptetur statim vas recipiens & destilletur in igne arenæ per gradus usque dum nullum ulterius transeat fluidum

R. Hujus spiritus ℥vj.

Extract. aloes per aquam
Myrrh.

Gumm. Ammon. aa. ʒij.

Croci orient.

Benz. aa. ʒij.

Balsam. de Mecha ʒij.

M. Stent in digestione dein addatur vini optimi hispanici ℥vj.

Dosis a xx. ad lx. guttas ascendit.

4) Huc pertinent pillulæ balsamicæ quæ putredini lymphæ resistunt & simul per alvum evacuant, quarum optima compositio sequens erit

R. Pill. de Gummat. Sylv.

Becher. optim.

Succ. ppti aa. ʒij.

B 3

M. F.

M. F. cum Elixir. Propr. pillul. num. LX. dos. n. x.
Ad roborantia pertinent 1) Sal volat. Sylv. arom. 2)
balsami vitæ, 3) præ omnibus naphtha Chymica vi-
trioli vel nitri, uti descriptæ leguntur in Excell. Dn.
Præsidis P. IV. & V. der Siegenden Chymie, quæ simul
tam per cutem quam urinam evacuat. Hæc sunt me-
dicamenta quæ fere in omni hydrope locum inveni-
unt, ob diversas autem hydropis causas varia hic sunt
monenda.

§. VI.

Specialissime itaque secundum causas §. 2. addu-
ctas cura nunc adducenda. Si a ruptura vasorum
lymphaticorum dependet fortiora resolventia evacuan-
tia sunt vitanda, nam licet insignis copia per alvum
vel urinam evacuetur simul tamen lympha per idem
medicamentum resoluta ad majorem evacuationem
apta reddit a iterum augetur quod imminuebatur.
Insistendum hic antiputredinosis balsamicis & roboran-
tibus, quem in finem mane hor. 7. propinari possunt
guttæ xxx. TR. bez. Wedel. hor. ix. mat. scrupulus
unūs pulveris temperantis ex Zinnab. nitro arcan.
dupl. & antimon. diaph. parati. Hora ij. pomed. gutt.
xl. TR. antim. cum bals. peruv. & oleo cinnam.
mixtæ. Hor. iv. iterum pulvis temperans, & hor. ix.
vespert. Dosis pillul. §. 5. præscriptarum. Roboran-
di fine bis vel ter in septimana sumi possunt mane
loco TR. bez. naphthæ vitrioli vel nitri per spiritum
Salis ammoniaci dulcificati guttæ x. Si tumorem
ferre possunt ægri sæpius ob resolutionem lymphæ
stagnantis oritur tympanitis, quo casu singulis diebus
duæ

duæ doses pillularum nempe mane & vesperi sunt propinandæ, quo melior possit fieri agglutinatio parietum in vasis lymphaticis disruptorum, quam non leviter aer liberatus elatere suo juvat. Continuatim his fere per 14. dies tentari potest fortior evacuatio per alvum vel per pulveres ex Rhabarb. antim. diaph. & resina Gialap. vel pillulas cum resina Gial. & Extracto helleb. nigr. compositas, vel decoctæ ex fol. Sen. fib. hell. nigr. & Rhab. si hac evacuatione ex voto secuta tumor imminuitur, monstrat affluxum ulteriorem esse impeditum, & tunc evacuantibus his continuatis & interpositis balsamicis & roborantibus salus speranda, aer liberatus remanens ultimo punctura mediante emitti potest. Nulla autem subsecuta imminutio tumoris post purgantia probe succendentia monstrat curam esse frustrancam. Haud raro autem respiratio libera manet, hoc in casu, si æger hoc ferre nequeat per paracentesin isti levamen minimum, si non curam promovere possumus. Potest interim hac operatione peracta cum Essentia travmatica Wed. & Ess. ocul. popul. consolidatio vasorum intendi. Si hydrops a debilitate vasorum vel extensione eorundem nimia dependet statim purgantia interponenda remedii reconsitit nempe TRa bez. Wed. pulveribus temperantibus, TR. antim. bals. In usum quoque optime vocari potest decoctum loco potus sumendum sequens

R. Rad. pareir. brav. 3ij.

bardan.

Cigor. aa. 3j.

Pimpin. alb.

trifol.

trifol. fibr. aa. 3*l.*

bryon.

fibr. helleb. nigr. aa. 3*ij.*

Hb. Capill.

Beton.

hepat. nob. aa. mj.

Flor. bell.

hep. nob. aa. pij.

Cubeb.

Cinamom. aa. 3*j.*

C. C. M. coquatur quarta hujus pars in aquæ $\frac{v}{w}$. viij.
Post prandium guttae xx. Sal. vol. Sylv. vel. g. x. bals.
vitæ in vino sumantur. Eadem cura suscipienda si le-
vis stasis sanguinis hydroponem effecerit, quo in casu
VS&io quoque suadenda. A resolutione nimia &
fusione lymphæ proveniens exposcit curam per TR. bez.
Wed. cum mxra simpl. mixtam, pulveres temper. TR.
antim. balsamicam, & pillul. balsam. quarum in lo-
cum etiam substitui potest laudatum Elixir. propr.
Nimia lymphæ quantitas, si causa hydroponis sit, requirit
frequentiorem purgantium interpositionem & decocti
jam præscripti usum, ex cuius speciebus etiam cum
vino addita limat. martis 3*j.* tremor. tartari 3*ij.* infu-
sum paratum optime conducit. Hydrops eveniens ob
resorptionem lymphæ denegatam præter remedia bal-
samica & roborantia ut & frequentiora purgantia po-
stulat aperientia, inter quæ palmam omnibus præri-
piet mxra aperitiva quæ constat ex liqu. terr. fol. tar-
tar. Eff. abfynth. comp. & TR. martis cydon. aa. 3*j.*
spir. Sal. ammon. anis. g. xxx. mane itaque hor. 7. su-
mantur

mantur g. xl. TR. antim. bals. hor. ix. mat. g. lx.
mxra aperit. Post prandium in vino vel etiam cum
isto parato infuso Sal. vol. Sylv. vel bals. vit. Hor.
ijj. pomied. propinantur g. xxx. Elix. propr. laud. & hor.
ix. vespert. mxra aperit. Loco potus decoctum lau-
datum in usum vocari potest. Si aliis in locis im-
pedita seri secretio & evacuatio hydropem effecerit, uti
fit e. g. a gravi obstruktione viscerum & calculo re-
num præ omnibus laudandum Elix. acidum Dippelii
legitime paratum, quod ad guttas xl. mane propi-
nandum hor. ix. mat. mxra aperit. Hor. ijj. pomer.
TR. antim. bals. & hor. IX. vespert. mxra aperit. com-
mendantur.

§. VII.

Restat nunc ista hydropis species cui vermes am-
sam præbent, cujus autem evidens explanatio doctri-
nam de vermis præmissam præsupponit. Intelli-
gimus hic autem sub iisdem viventia in viventibus
animalia & quidem qui in cavo animalium deprehe-
duntur. Ordinarii in homine occurrentes sunt tripli-
ces 1) Ascarides, qui vermiculos in caseo æmulantur
2) lumbrici terrestres (Spul- oder Regenwürmer)
3) lumbrici lati sive cucurbitini (platte Würmer). Ad
ordinarios frequentius tamen in brutis quam homini-
bus occurrentes refertur tinea (der Gliedwurm) qui
longi existunt & multis internodiis sive articulis sunt
prædicti. Nupcr talis purgante resinoso propinato per
anum feminæ cujusdam prodit, qui duodecim pedi-
bus æqualis erat, licet, quia disrumpetur, minime
C integer

integer prodierit. Extraordinarii sunt ranæ, bufones, serpentes, millepedes & araneæ.

§. VIII.

Locum, quod attinet, diversum in corpore occupare valent. Frequentissimus est ventriculus & canalis intestinorum. In ventriculo & tenuibus observantur lumbrici terrestres & lati s. cucurbitini, in intestino reto ascarides. In ceteris partibus & cavitatibus rarius inveniuntur præcipue in hominibus, ubi seccio post mortem medico frequentius denegatur quam conceditur. Possunt tamen hærere tam in cavo abdominali inter viscera & peritonæum, quam in visceribus ipsis, item in cavitate thoracis, pericardii, bronchiis sinu maxillari, cavitate crani. In tinca pisce in cavo abdominali deprehensa fuit insignis copia lumbricorum terrestrium. In hepate muris observavit III. TEICHMEYERVS tres tineas adhuc viventes. Asserta hæcce eo clarius patet, si origo omnium vermium vivo in corpore attenditur. Generantur vero hæc animalcula ex seminio verminoso sive ovoidis imprægnatis accidente calore temperato & continuo. Cum itaque ovulum ex quo homo generatur, tantam subtilitatem habeat, quantam nunc isti ovulo ex quo animal parvulum generandum tribuere cogemur. Ex quo luculenter apparet, quod tali subtilitate prædicta ovula etiam in cavae tates, in quas lympha secernitur omnino pervenire queant. Calor ubique est animalis, qualis quoque ad exclusionem ovulorum ubique desideratur. Porro scimus ad exclusionem ovulorum determinatum tempus requiri. Ita ovula ergo quæ jam jam exclusioni sunt proxima

proxima facilius in ventriculo & intestinis excluduntur, ista autem quæ adhuc majus requirunt tempus per vasla lactea abeunt in massam sanguineara & in lympham ad cavitates quæ ab ista lubricantur, & tunc si tempus ad exclusionem adest, calorque proportionatus, ista quæ durante circulo vitam conservarunt evolvuntur. Pro diversa autem nutritione & diversa figura cavitatis in qua facta exclusio, diversam & omnino alienam figuram accipiunt, ac ista animalcula possident, quæ ex similibus ovulis extra corpus animatum generantur. Tineæ formatio ita concipi potest, si nempe in canaliculo cuius una extremitas angusta altera ampla existit, & qui internodiis vel valvulis gaudet ovulum quoddam forte excluditur & nutritione accepta extenditur, omnino extensio istius animalculi fiet secundum formam canaliculi, si dein tale animalculum in cavitatem ampliorem protruditur, proportionate per nutritiōnem extenditur & crescit.

§. IX.

Diversos in corpore nostro effectus talia præstant animalia. Si in ventriculo vel intestinis tenuibus hærent absument chylum, excrementis autem suis residuum chylum acrem reddunt. In cavo abdominis vel aliis cavitatibus hærentes absument lympham, reliquam conspurcando excrementis acrem & viscidam reddunt. Si moriuntur in putredinem abeunt, tale fluidum putridum ob acrimoniam saepius impeditur ingredi vasa resorbentia, & sic oritur hydrops aïcites, si autem ob fluiditatem nimiam resorbeatur, modo febrem hecticam inducit, modo anasarcam, si nempe per

C 2

tale

tale acre fluidum lympha resolutione rarefit, vasa extendit, & simul ob acrimoniam poros cutis constringit, sic copiosior lympha admittitur, ob denegatam autem per poros cutis excretionem accumulatur. Deinde etiam vermes rodendo nonnunquam & perforando insignem pruritum & dolorem excitant, ex quibus haud raro gravissimæ oriuntur convulsiones.

§. X.

Ex hisce effectibus signa quoque desumuntur de praesentia talium animalculorum. Cibi cupiditas adeat ingens & insatiabilis, corpus tamen macrum imbecillum atque inaequale redditur, multa adeat sitis, pallor faciei cachecticus, foetor oris putridus, sudor male obens, levitas intellectorum, urina est turbida foetida. Pruriunt nares, per somnum dentes strident vel aliena loquuntur. Non raro etiam tussi sicca graviter laborant tormina & murmura in ventre percipiuntur, & interdum venter graviter inflatur & tunet. Pulsus aliquando fit inaequalis. Ascarides anum, nonnunquam & femora natesque pruritu afficiunt, assidua defidendi cupiditate exercent, saepiusque in dejecto stercore cernuntur.

§. XI.

Cura vermium expostulat ut 1) vermes in corpore necentur, 2) expellantur, 3) putredo tam per eorum excrementa quam mortem orta arceatur, & extinguantur. Necantur a) impedita eorum transpiratione, b) destructione, c) nutrimenti defectu. Transpiratione impedita propria pereunt acrimonia, fit autem hoc si oleo vel melli implicantur, prodest autem prius praemittere

mittere purgans. Destructio eorum obtinetur per mercurialia, martialia, bezoardica, & aromatica. Mercurialia ex acribus vermium humoribus mutantur in corrosiva fortiter solida eorum destruentia, usurpantur hunc in finem mercurius dulcis in pillulis, æthiops mineralis cum saccharo, zinnabaris & mercurius per se fixatus, itemque lac cum mercurio vivo coctum & aqua in quam octies mercurius per retortam destillatus fuit. Martialia quoque ex acrimonia vermibus propria haud levem acquirunt vim resolvendi & destruendi, propinrantur optime in TRis martialibus. Bezoardica vermium humores jam ad putredinem dispositos, vi resolvendi quam possident plenarie destruunt, quod & aromatica, qualia sunt specifica ista tanacetum ejusque semen Cynæ vel Santonic, quoque præstant. Nutritio ipsis denegatur per amara aloetica, hæc enim chylo vel humoribus nostris mixta, nauseam vermibus excitant, & sic fame cruciati destruuntur, vel si coacti hisce uti, ob eorum vim resolventem vitam amittunt, optime hic infervit Elix. propr. laudatum cum anatica quantitate Eff. absynth. comp. Vermes mortui ex ventriculo & intestinis purgantibus expelluntur, quæ semper anthelminticis sunt interponenda, ne putredo nimia corpori communicetur. Putredinem optime extinguit TR. bezoard. Wedel, cum anat. quant. Eff. Scord. itemque TR. antim. bals.

§. XII.

Restant nunc casus in quibus observatum fuit vermes hydrope effecisse. Primus erat puer quindecim annorum, qui fere per dimidium annum ascite la-

C 3

bora-

boraverat, abdomen valde erat tumidum, undulans
aqua optime observabatur. Purgantibus unacum bezoardicis & aperientibus per 14. dies continuatis tumor
abdominis sensibiliter imminuebatur, sed ulterior me-
dicamentorum usus nil amplius efficiebat, remanebat
tumor adhuc insignis, durus & ruber, ita ut hydrops
saccatus præsumeretur, sed adhuc per aliquot septima-
nas continuatis bezoardicis & aperientibus, sentiebat
acerbissimos & mordaces abdominis dolores, qui suspi-
cionem præsentium vermium excitabant, præcipue
quia nares pruriebant, facies pallida erat appetitus
magis urgebat. Hæ circumstantiæ suadebant an-
thelmintica una cum antiputredinosis, quibus per men-
sem unum continuatis tumor abdominalis evanescebat
& puer integrum recuperabat valetudinem. Alterum
casum exhibuit puella sex annos agens, quæ subitanea
corripiebatur anasarca, post adhibita bezoardica autem
& purgantia lenientia intra spatum 14. dierum evade-
bat, vix autem elapsis duobus mensibus graviori one-
rabatur anasarca quæ spatio 24. horarum apparebat.
Iterum bezoardica & purgantia in usum vocabantur,
& tunc prodibant per alvum tres lumbrici terrestres,
qui suadebant usum anthelminticorum una cum bezoardicis, quibus ita restitura fuit, ut hunc usque in
diem nullum indicium anasarcae percepit. Tertia vi-
ce talem morbum habuit vir 36. annorum, qui tussi
graviori per annos laborans sic extenuatus erat, ut
quilibet istum phtisi correptum putaret. Insigni gau-
debat appetitu sed nullam ex cibis sentiebat nutritio-
nem. Insignis pectoralium remediorum copia fru-
stra

ura applicata erant, dein ipsi sentiente in femore rheumatisum propinata erat TR. bez. Wed cum anat. quantitate Ess. trifol. fibr. & refracta dosi Ess. anod. sed solatii loco incidebat altero die in febrem insigiter putridam, sudore foetido & gravissima virium prostratione comitatum. Continuatis medicamentis bezoardicis & pulveribus temperantibus per aliquot dies sentiebat maxima tormenta, ita ut diarrhoea gravior & facilime hoc in morbo lethalis metueretur, nihil autem horum sequebatur, immo obstructa erat alvus, sed cessantibus altero die tormentibus febris valde exacerbabatur, urina apparebat turbida foetida uti & sudor foetorem vix tolerabilem exhibebat. Anasarea quoque corripiebatur. Ex his circumstantiis statim suspicabantur vermes presentes, anthelmintica autem specifica adhibenda ob febris gravitatem consilii nullius esse censebantur, sed continuatis bezoardicis temperantibus & diluentibus spatio sex septimanarum in integrum restituebatur, aliquot autem post dies eadem passus tormenta iterum recurrebat anasarea & febris. Febre curata remanebat anasarea, quae autem applicatis legitimiis remedii una cum anthelminticis feliciter curata fuit.

§. XIII.

Posset hic regeri quod minime satis pateat hisce in casibus hydropem a vermis causatum fuisse, quia in primo & tertio casu nulli evacuati fuerant. Sed probe reflectendum, 1) quod signa vermes indicantia (§. X.) quamplurima adfuerint 2) quod omnes hi casu a putredine vermium, qui adhibitis bezoardicis vita privati, derivari possint 3) quod ex juvantibus anthelminticis etiam ad presentiam talis status concludere licet. Quod autem in primo & tertio casu nullus vermium expulsus fuerit, ratio incolatet, quod in cavitate abdominis inter intestina & peritoneum haberint, ubi nulla ipsis patuit ad exitum via. Sed per bezoardica fuerunt agitati convolutionibus hinc tormenta oriebantur, dein autem morte eorum secuta in fluidum putridum mutati, quod resorptum febrem purtidam & anasarcam omnino efficere posserat. Hoc non semper necessarium quidem est ut anasarea

ca oriatur, prostat enim casus ubi quidam vir alias sanus & robustus certis temporibus tormentinibus agitabatur, quæ statim sequebatur tumor faciei vel manus, vel pedis, qui brevi tempore iterum evanescet, putabatur magnum gradum mali hypochondriaci subesse, & quia longum per tempus apertientia martialia propinata fuerant, utique haud leve sentit solarium, sed subito tormentinibus subortis, graviores & lethales convulsiones sequebantur, quæ spatio 24. horarum istum vitam cum morte permutare cogebant. Certo hic deprehensi tuissent vermes, si sectio corporis fuerit permissa.

S. XIV.

Ratione curæ talium in cavitate abdominis vel alia hærentium vermium adhuc monendum quod a mercurialibus hocce in casu plane sit abstinentum, nam si partes mercuriales mediante lympha his animalculis insinuantur, ab acribus eorum humoribus facilis negotio in corrosivum mercurium mutantur, qui dein, vermis ob denegatum exitum in putredinem abeuntibus homini mortem conciliat. Insistendum itaque hic tantum specificis anthelminticis bezoardicis, aromaticis, amaris, aperientibus & laxantibus, his enim tam vermes necari, quam hydrops una cum febre curari potest. Præsente itaque febre insistendum TR. bez. Wed. cum Eff. Scord. & pulveribus temperantibus, immo putredine nimis urgente pulveribus bezoardicis. Hac curata mane propinari potest Elixir. propri. superius laudatum, hor. ij. pom. mxra aperitiva superius præscripta. Hor. ix. vesp. TR. antīm. bals. interponenda purgantia & ad tonum restitendum, naphæ Chymicæ vel vitrioli vel nitri. Videmus quoque hisce in casibus quod TRa bez. Wedel. quoque sit anthelminticum, quia vermes necat, & quidem tutissimum, putredinem enim ortam iterum tollit. Quod autem hoc non satis laudandum medicamentum vermis sit venenum hominibus vero antidotum, in eo latet, quod vermes insigni jam gaudent transpiratione, hinc nullam amplius ferre possint, quæ tamen haud leviter per istam TRam augetur.

S. D. L. E. G.

00 A 6281

ULB Halle

002 828 12X


3



50

Ratho ✓

Farbkarte #13



B.I.G.

AVGVRALIS MEDICA
DE
R O P E
VS CAVSATO
VAM,
T AVCTORITATE
EVLTATIS MEDICÆ
RANTIQVA HIERANA,
Æ S I D E
ON. LVDOLFO
S. ORDIN. ET PROFESS. CHTM. PVBL.
IT. ERFORD. PHTSICO,
ORE ÆTERNVM COLENDO
PRO
DOCTORIS
TE MEDICA HONORIBVS
VS ET PRIVILEGIIS
APESSENDIS
VM EXAMINI SVBMITTIT
T RESPONDENS
RICVS JACOBS
GOTHANVS.
JORI COLLEGII MAJORIS
· CONSV.
III, MDCCXLVIII.
ORDIAE
H. HERINGII ACAD. TYPOGR.